



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Poematis genus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

**A**D anni autem similitudinem Poëmaticis etiam genus Circulus appellatur, cuius Aristoteles Analyticis meminit. Id alii alio exposuerunt modo. Sed nimirum Poëma illud Circulus appellatur, cuius finis idem est cum principio, cuiusmodi est Catullianum epigramma in annales Volufii, & alterum in Nonium Strumam, & unum etiam in Mamurram & Cafarem Euthymius sane Circulares eos Pfalmos vocat, qui eodem finiunt versu, quo ceperant, cuiusmodi est xviii. supra centesimum: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam sempiterna est eius misericordia.* Fierique solet, ubi sententiam aliquam insigniorem quarimus in audientis animo quasi aculeum quandam è repetitione productum affigere, utque tenacius memoriæ inhærescat, affixum ita relinquere.

*Hinc forte  
sanctæ veteris  
Gallicæ Poë-  
tas notant,  
Rondeau.  
Circulares  
Psalmi qui.*

CONTRARIETAS: CAP. XIII.

**M**otus vero, qui est in circulis, natura considerata, in causa fuit, ut periti Mathematicarum, contrarietatem hieroglyphice significare volentes, duos iuxta sese contingentes circulos describerent, quales in quibusdam machinis fieri vidimus, propter unius incurvationem adverso motu alterum circumagi: atque ita manifestam discordiam apparere, quam in adolescentiæ nostræ delictis, amore in indignationem converso, ita ex Aristotele descripsimus:

*Mathemati-  
ca obser-  
vatio.*

*Non aliter motus concurrere ad oscula vidi,  
Hinc atque hinc gemina sic coiere rota,  
Quæ simulac primis sese teigere labellis,  
Pars ea quamprimum, quæ veniebat, abit.  
Fitq; ex concursu facies contraria primæ,  
Machina versa meo qualis in igne fuit.*

SUMPTUS PUBLICI PRIVATIQUË.

CAP. XIV.

**O**rbiculi quidam numismatum speciem referentes, quos in aliquot pyramidibus & obeliscis excisos videas, pecuniam indicant in opere construendo erogatam: qui si fuerint in orbem dispositi, sumptum ejus operis significare ajunt publicum fuisse, sin parallelari quodam ordine sculpti, privatam impensam significare contendunt, quæ tamen interpretamenta juniorum quorundam esse, non inficior: nam apud veteres nihil tale interpretatum inveni. Exigeret hic locus, ut de circulis quibusdam mutua complicatione junctis, qui disciplinarum hieroglyphicum constituunt, rationem subjungerem, sed quoniam argumentum illud alio commentario, quod Illustrissimo reverendissimoque Herculi Mant. inscripsimus, late satis explicatum est, ad spheram nunc & figuras aliquot istius cogitationis convertemur,

*Orbiculi  
numisma-  
tum speciem  
pro se se-  
rentes.*

DE SPHÆRICA FIGURA. CAP. XV.

**P**er circulum superius Deum à nonnullis intelligi docuimus. Caterum si qua Deo forma similitudine adscribi possit, longe convenientius spherica illi figura accommodabitur. Merito itaque Xenophanes mundum illum archetypum spheram appellavit, veteresque plerique veræ Theologiæ scientiam nondum assecuti, nihil esse aliud Deum, nisi cælum ipsum, & cœlestia ista arbitrabantur. Sed & Salomon ad Deum conversus: *Exaudi ô cælum, dixit.* Deos tamen, ut nostrorum interim oracula missa faciamus, neque mensura, neque forma ulla comprehendi posse dicit Jamblichus, & omnes, qui aliquo veræ doctrinæ lumine irradiati fuerunt,

*Et Esai. c. i.  
Audite cœli.*

ÆTERNITAS. CAP. XVI.

**I**taque recte cum per hieroglyphicum spheræ Deum intelligerent, æternitatem quoque eadem figura descripserunt. In numo enim Faustina, quam retulerant inter divos suos, sigillum est cum sceptro super spheram sedens, dextera exporrecta, cum inscriptione, ÆTERNITAS. Eadem inscriptio in numo altero, ubi dea summis lævæ digitis palam tollit, dextera spherulam porrigit. Cum vero mundi ipsius figura in orbem conglobata perhibeatur, plerique veterum eo signo crediderunt,

*Fausina  
numus.  
In princ.  
pio.*

mun-